



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVI. De iis, quorum interest ferre leges humanas, & eorum legibus
obtemperare necessum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

versali actus internos præscribere aut prohibere, tametsi nequeat hunc, aut illum punire, nisi sciat præscriptiones suas violasse. Quare pronunciatum illud, *Ecclesia non iudicat de occultis*, non de præscriptione legis accipiendum est, sed de individua prolatione sententiæ.

8.
Solvitur au-
toritas D.
Thomæ.

Habes hinc quid reponas ad auctoritatem D. Thomæ scribentis 1. 2. q. 91. art. 4. *De his potest homo legem ferre, de quibus potest iudicare*: atque iudicium hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui apparent. Dicimus enim Doctorem Angelicum loqui de vi coactiva, ut colligitur ex verbis sequentibus: *Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus*; aut accipiendum esse de lege non juxta universalem ipsius præscriptionem, sed juxta sententiam in individuo prolatam. Potest enim E. G. Pontifex prohibere ne eadem Missa applicetur pro duobus stipendiis, ut prohibuit Urbanus VIII. atque hæc inhibito versatur circa applicationem, quæ est actus interior. At hunc numero Sacerdotem consimili applicatione sacrum fecisse Ecclesia ignorat, ideoque in ipsum debita punitione minime animadvertit. Exempla huic similia paulo supra produximus.

9.
Obiectio 2.
cum Solu-
tione.

Arguunt ulterius: De Pœnit. dist. 1. cap. *Cogitationis*, habetur, *Cogitationis penam nemo patitur*. Quem canonem de sola humana lege accipiendum, res per se loquitur. Resp. sensum Canonis esse, neminem puniri sententia iudicis, ob cognitionem internam, quæ nullo modo probari potest. Nam si ex-

teriori indicio interior malitia innoscatur, etiam cogitationis penam patitur iniquus, ut de eo qui armarium aperuit, nec asportare potuit, aut segetum, quas secuerit, partem duntaxat furripuit; explicat ibidem Glossa. Spectat præterea Canon citatus ad jus Civile, non ad Canonicum; ut constat ex Canone 20. ejusdem dist. *Cogitatio non meretur penam lege civili, cum suis terminis contenta est*. Audio quid arguaris. Lex civilis, inquis, internum actum non præcipit: ergo neque Ecclesiastica. Sed tene latissimam disparitatem. Lex civilis ad temporalem politiam, atque ad externum regimen directa est, Ecclesiastica ad animarum quoque salutem & ad spiritalem concordiam, ad quam per se, & directe refertur. Deinde in legibus civilibus quædam sunt, quæ suapte natura effectum sortiuntur tantummodo posito externo actu, ut contractus, matrimonium, venditio, locatio: quædam verò, quæ effectum intentant, ut maleficia: unde sequitur citato canone 20. *Discernuntur tamen à maleficiis ea, quæ de jure effectum desiderant: in his enim non nisi animi iudicium consideratur*. Hujus generis leges etiam in interiores actus ferri possunt.

Insuper objectant: Ecclesia cum sit visibilis, debet humano modo procedere. Resp. id non ob stare quin per legem humano modo prolatam ad internos actus obstringat, quemadmodum per visibilia Sacramenta spiritales producit effectus. In cæteris, si quæ sunt alia, diluendis opera studiumque nostrum minime desideratur.

10.
Obijciunt ul-
timò & Sol-
vitur.

CAPUT XVI.

De iis, quorum interest ferre leges humanas, & eorum legibus obtemperare necessum est.

SUMMARIUM.

1. An potestates seculares possint statuere leges Ecclesiasticas. Propositio 1.
2. & 3. Propositio 2. Probatur.
4. 5. & 6. Propositio 3. Probatur.
7. S. Gregorius VII. defenditur.
8. Quomodo alii in hac materia intelligendi.
9. 10. & 11. Propositio 4. Probatur.
12. Illatum refutatur.

13. 14. 15. Propositio 5. Probatur.
16. Jurisdictio Regni & Imperii est in Summo Pontifice directe per se.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur Objectiones.
21. & 22. Propositio 6. Probatur.
23. Propositio 7. Probatur.
24. Propositio 8. Probatur.
25. & 26. Solvuntur Objectiones.

An potestates
seculares
possint sta-
tuere leges
Ecclesiasti-
cas.

NONNULLA quidem de legum Auctoribus supra disserui: unde constat nonnisi ad legitimos Superiores pertinere, ut Legem statuant. Quoniam vero nonnulli falso scripserunt summas Potestates, quarum nomine designant Imperatores, Reges, & quos appellat vulgus Magistratus, quod tamen

nomen potestatem inferiorem, designat, imperium tenere in res sacras, cui & Ecclesiastici viri subiecti sint, neque hi quacunque fulgeant in Ecclesia auctoritate, aliud munus jure exercere, quam declarandi ac suadendi, adversus hanc impietatem erroremque execrandum acutam stylum parumper, demonstrans quomodo Eccle-

Eccleſiæ Paſtores imperium teneant, quomodo Poſteſtates Sæculares, atque utriusque ſit à ſubditis obſequendum.

I. PROPOSITIO I. Poſteſtates ſæculares non habent auctoritatem aliquam, aut imperium ſtatuendi leges Eccleſiaſticas.

Probat. I.

Demonſtratur I. Petro duntaxat, & Succeſſoribus ejus data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, neque ſuper Imperatorem aut regem, ſed ſuper Principem Apoſtolorum Eccleſia fundata eſt, ut habetur Matth. xvi. 18. atque oſtendam diſſerens de Romani Pontificis auctoritate: ſimiliter ab Episcopis regendam Eccleſiam collata ſibi per Spiritum ſanctum poteſtate traditur in Act. Apoſtolorum cap. xx. 28. Atqui Terrenæ poteſtates deſtitutæ jurisdictione, character & gratia, quæ conſertur per impoſitionem manuum Presbyterii, Pontificali aut Episcopali dignitate non fulgent. Non ergo ad eas attinet Eccleſiam regere, atque in hac exercere ligandi, ſolvendique collatam divinitus poteſtatem. II. Quem Eccleſia eſecerit ac damnaverit, nequeunt Poſteſtates ſæculares in communionem recipere; ſed debent illum quique fideles habere tanquam Ethnicum & publicanum, juxta Evangelicum præceptum Matth. xviii. 17. Igitur Poſteſtas terrena ferendi in Eccleſia leges, ipſa Eccleſia repugnante, auctoritate non pollet. III. Sæculari Principi neſas eſt in Eccleſia ſacras functiones obire, nam Ozias, cujus pietatem & adverſus Philiſthium glorioſa certamina comendat liber 2. Paralip. ibid. cap. xxvi. 21. percuſſus lepra abſectus fuit uſque ad mortem, propterea quod repugnante Azaria Sacerdote vellet ſuper altare thimiamatis incenſum adolere. Multo ergo minus ſas erit Regi vel Principi res ſacras imperatoria conſtitutione præſcribere. IV. Ut habetur in Can. tit. de Judicib. *Judex ſæcularis in ſpirituſali ſe intromittere non poteſt*: quæ etiam extant ſi. de iis, qui ſunt ſui, vel alieni juris L. 1. §. *Videmus*. V. Oſus Cōrdubeniſis in Epistoſa laudata ab Athanaſio ad ſolit. vitam agentes, hæc ad Imperatorem conſcribit: *Neque te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium invadit, contradicit ordinationi Divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te irabens magno crimini obnoxius ſias*. Et Hilarius pariter in Epist. ad Conſtant. Auguſtum, *Provideat, inquit, & decernat Clementia tua, ut omnes ubique Ju-*

dices, quibus Provinciæ adminiſtrationes credita ſunt, à religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſt hoc præſumant, atque uſurpent ſe cauſas cognoscere Clericorum. VI. Poſtremo his accedit, quod fundamentum eſt cæterorum, non eſſe corporis ſpiritum, neque temporalis politiæ Eccleſiaſticam regere communiatem: quod ſubjectis poſitionibus colluſtrabitur.

PROPOSITIO II. Poſſunt tamen Poſteſtates terrenæ leges ſtatuere ad Divi-
nas, & Eccleſiaſticas promovendas, non tanquam Eccleſiæ Judices, ſed tanquam deſenſores ac vindices.

2.

Probat. I.

Hoc duntaxat probant argumenta, quæ ad ſtatuendum imperium ſummarum Poſteſtatum erga ſacra viri politici & ſæcularium Principum adulatores coacervant. Sunt hæc ex veteri teſtamento deprompta. David 1. Paralip. xv. 3. præcipit à Levitis afferri arcam Dei de domo Obededom; ſed jam Dominus Levitas elegerat ad portandam eam, ut ibidem legitur v. 2. Joas lib. 11. cap. 24. ſancivit congregandam pecuniam ad ædificium & ornatum templi: ſed ſoli Levitæ arcam pecuniarum deferrebant, & lex jam erat conſtituta per Moſen Exodi xxx. 13. Joſias etiam lib. 4. Regum cap. 23. juſſit, ut projicerentur de templo vaſa Baal, deleverit aruſpices, evertit ædículas ſcortatorum, & celebrandum Phaſe conſtituit: ſed *juxta verba libri federis*, ut habetur v. 2. nempe ſecundum præceptiones Moſaicas. Huc referenda ſunt exempla Ezechiae & aliorum apud Auguſtinum in Epist. ad Bonifacium. Præterea fecit aliquando conditio temporum, ut pro divinarum & Eccleſiaſticarum legum cuſtodia fideles etiam impiorum & idololatræ Principum imperia arceſſerent. Ita nimirum pro ædificatione ſecundi templi Judæi Perſarum Regum juſſa poſtulaverunt. Ptolomæus litem de Templo Hieroſolymitano, & Garizitano diremit, apud Joſeph. lib. xiii. Antiq. cap. 6. Paulus apud Felicem, & Feſtum judicium ſubiit. Juſtinus Martyr, alii- que Apologiſtæ ſanctiſſimi Imperatoribus veritatem Fidei Chriſtianæ com- probandam exhibuere. De Paulo Samofatenſi etiam Aurelianus Imperator à fide alienus fertur dixiſſe ſententiam. Athanaſius ante Probum Læodicæ contra Ariuſm diſputavit, Antitiſtes alii apud Jovinianum, Eugenius Episcopuſ ante Hunnericum. Hujusmodi enim Imperatores, eſſi infideles aut hæretici, poterant Catholicorum diſſidia legibus Catholicorum componere. Nam

equum est unumquemque juxta leges, quibus subjicitur, absolvi aut damnari. Quod si de Principibus Christianis sermo instituitur; fateor interdum non solum leges Ecclesiasticas promovisse, sed etiam, Pastoribus Ecclesiae minime repugnantibus, coegisse Synodos, & sacrorum Antistitum electionibus praefuisse. Sed & ultro concedimus dici Constantinum in Antiqua Inscriptione *Auctorem Religionis, & fidei*, Carolum Magnum *Verae Religionis rectorem*, Britannum Regem in vetusto Epistolio *Vicarium Dei*: & si quid iis dici potest illustrius.

3. **Probatur 2.** Verum qui iis adducuntur, ut adstruant imperium secularium Potestatum in Ecclesiam, plane decipiuntur. Prioris enim generis exempla, Davidis, Joas, & Josias potius demonstrant Reges Israel nullas de Sanctuario tulisse Constitutiones, sed pro servandis iis, quae statuta erant à Moysè, sedulo invigilasse. Alia, quae Augustinus producit, ostendunt, quomodo Reges servire debeant Domino in timore, *ea quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plecendo*. Iisdem quippe verbis utitur S. Pater. Cumque post jus Divinum locum habeat proximiorum Ecclesiasticum; tenentur Reges hujus quoque disciplinam custodire, quoniam Deo rationem reddere debent *propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt*, ut inquit Isidorus Hispalensis in Sent. 111. cap. 51. Quae de Imperatoribus idololatriae fuere subiecta, non ipsorum in res sacras imperium, sed Christianae fidei triumphum commonstrant quem in majori rerum discrimine patrocínio hostium suorum reportavit. Fuerunt tamen singuli, quos supra commemoravi, Dei ministri, & vindices in iram eis, qui malum egerunt: qualem esse omnem potestatem sublimiorem asseruit in Ep. ad Rom. cap. xiii. v. 4. Apostolus Paulus. Cum autem Principes sint Dei ministri; quid mirum, si suam pro Ecclesiae incolumitate operam contulere, & honorificis ac splendidissimis titulis fuerunt condecorati, Rectorum quoque Ecclesiae, Fideique Auctorum? Quos nisi superbe usurpaverint, non alia ratione dicimus esse collatos, quam vita & anima corporalibus membris exercentibus quidem vitales actus, et non sua illos vi dirigentibus, neque imperantibus.

4. **PROPOSITIO III.** Competit Ecclesiae Pastoribus non solum munus suadendi & declarandi, sed etiam auctoritas, & potestas coactiva, qua possunt suarum

legum fractores vi, & imposita necessitate compescere.

Opposita enim assertio, quam protulere Marsilius de Padua in Defensorio Pacis ad Ludovicum Bavarum, nec non Joannes de Janduno, arripere posthac Protestantes, praesertim Grotius de Imperio summarum Potestatum cap. iv. §. 7. & 8. & M. Antonius de Dominis lib. v. de Republica cap. 2. & 3. damnata est tanquam haeretica à Joanne XXII. Damnationem receperunt cum cæteris etiam Doctores Parisienses solenni congressu die 1. Septemb. an 1330. atque pro hac definita veritate plura scripsere Gerson, Hervæus, Petrus de Alliaco, Franciscus Hallier, alique. Itaque thesis hae argumentis probatur. Christus Dominus factio flagello de funiculis vendentes & ementes è templo vi expulit. Contulit quoque Petro potestatem ligandi atque solvendi: ligantur autem non tantum voluntarii, sed etiam inviti. Apostolus Petrus Ananiam & uxorem, quod fraudaverint de pretio agri tali oburgatione reprehendit, ut corruentes protinus expirarent. Paulus etiam Elymam Magum luce privavit, tradiditque Satanæ in carnis interitum Corinthium fornicatorem. Etiam Sacerdotes ac Pharisei cæcum perhibentem de Christo testimonium, Joannis 1x. 34. *ejecerunt foras*, vel è templo, vel, ut aliis placet, è synagoga. Idem fecisse Stephano, Paulo & Barnabæ narrant Acta Apostolica. Fuerunt quidem hæc postremo loco posita per summam injustitiam patrata; sed nihilofecius Sacerdotalem auctoritatem eos, qui habentur impii, per vim expellendi commonstrant.

5. **Probatur 2.** Exercuerunt præterea Ecclesiae Pastores jurisdictionem illam coactivam vel excommunicatione, vel potestate miraculorum, vel violenta manuum appositione. Coactivam esse vim Excommunicationis ex eo probatur, quod percussus anathemate inviti à fidelium communione separantur. Quare abscindi dicuntur in Epist. ad Galatas cap. v. 12. atque in Evangelica similitudine Matth. v. 29. & 30. tum abscindi, tum erui, ac projici. Hæc enim de excommunicatione interpretatur Innoc. I. in Epistola ad PP. Milevitanos inter Augustinianas 93. Potestate sibi divinitus tradita miraculorum usos fuisse sanctissimos Ecclesiae Pastores, etiam vim inferendo, & coercendo, Ananias & Elymæ allata exempla declarant. Excommunicatum ab Ambrosio famulum Stiliconis statim ab immundo spiritu disceptum,

ptum, Zozimum Neapolitanæ Eccleſiæ invaſorem anathemate percuffum protenſa tanquam bovi anhelò lingua ſpectaculum de ſe exhibuiſſe miſerrimum, & Eudoxiam Imperatricem pariter à Chryſoſtomo communione privatam infelicem habuiſſe exitum; Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria. Quod eſectis etiam ab Eccleſia Judæorum olim accidiſſe auctor eſt Joſephus lib. 2. de Bello capite ſeptimo. Ubi de Eſſenis, *Deprehenſos* (inquit) *in peccatis à ſua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus miſerabili plerumque morte conſumitur. Illis enim ſacramentis & ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt; verbas vero pecudum more decerpens & fame exesus per membra corrumpitur.*

6.
Probatur 3.

Deinde vero vim adhibere Eccleſiam liquet ex lib. 11. Conſtit. Apoſtol. cap. 77. & lib. VIII. cap. 11. ubi mandatur expelli à Templis infideles, & baptiſmo nondum initiatos: quod de Excommunicatis antiqua ſervandum eſſe diſciplina, & ad hoc inſtitutos Oſtiarios Ivo Carnotenſis, alique literis mandarunt. Extat in VI. Confeſſ. cap. 2. memoriæ prodita ab Auguſtino prohibitiſ per Oſtiarios facta iis, qui ad memorias Martyrum pulres, panes, merumque deſerebant, & obedientiæ S. M. Monicæ commendatio. Numerianum Antiochiæ ingreſſum in Eccleſiam S. Episcopopus Babylas magno animo in faciem ejus conſiſtens expulſit, ut ſcribit Nicephorus lib. 6. cap. 33. neque hortatorio ſermone, ſed auctore Chryſoſtomo in lib. de S. Babyla, *quafi vile quoddam, ac nullius precii mancipium à Dei templo exegit, tanta adeo cum conſtantia, atque animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ovem ab ovili excludit, dum prohibet ne laborantis ovis morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat.* Sanctus quoque Ambroſius Theodoſium poſt eadem Theſſalonicenſem à ſacris liminibus prohibuit, non concionis verborumque efficaciam tantummodo, ſed extra veſtibus procedens, & coram omni multitudine purpura Imperatoris apprehenſa. Legite Theodoritum lib. v. H. E. cap. 18. Sozomenum lib. VII. cap. 25. & Nicephorum lib. XII. cap. 41. Neque hæc exempla quis in dubium poterit revocare.

7.
S. Gregorius VII. defenditur.

Quamobrem aſſentiri minime poſſumus iis, qui ſcribunt primum omnium S. Gregorium VII. vim contra Imperatorem adhibuiſſe: tamenſi hujus viri ſingularis probitas, & incorrupta juſti-

tia ſufficeret ſola ad poſitionem noſtram firmandam. Neque enim Prædeceſſores ſemper, & cum poterant, anathematis fulmina evibrarunt, Eccleſiæ rebus ac temporum anguſtiis provide conſulentes. At Gregorius opportune ſummi Paſtoris juſdiſctionem exercuit, impium regno, & communione privando. Nam Simoniacas inveſtituras non dimittentem primo ad obediendum decreto à Romana Synodo lato paterne hortatus eſt: deinde acriores literas conſcripſit; tum poſt Vormacenſe Conciliabulum, Epiſtolamque Henrici injuriis, diſcretisſimam, Synodum Gregorius indixit, in qua definitum eſt omnibus acclamantibus, ut privaretur honore regio. Et tamen piſſimus Pontifex Auguſtam ad Generale colloquium pergere non recuſabat, & jam cum propriæ vitæ periculo arripuerat iter, inſidiarum, quas Henricus ſtruebat, admonitus. Aequitatem præterea Pontificiæ ſententiæ infelix Henrici exitus comprobavit. Sed legatur Antonius Pagius ad an. Ch. 1076. ubi hæc confirmat teſtimonio Scriptorum illius ætatis, quibus habenda eſt magis fides, quam poſterioribus, maxime ſi talia monumenta non legerint.

Si quæ ſunt autem ſanctorum Episcoporum, & præſertim Chryſoſtomi dicta, non eſſe Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem cohibendi homines à delictis; ſic accipienda ſunt, quod vera fides & innocentia, cum animo inhæreat, perſuaſionibus quidem, non vi coercente promoveatur, & ab Eccleſia alieni trahantur verbo, non compellantur imperio: cum tamen iis, qui ſunt de corpore Eccleſiæ poſſint Paſtores leges impo-
nere tam adhortatione, quam auctori-
tate ſententiæ, atque ut Apoſtolus innuit priori ad Corinth. cap. 4. v. ult. ubi non ſufficit charitas & ſpiritus manſuetudinis, virgam, poteſtatemque adhibere.

8.
Quomodo alii in hæc materia intelligendi.

PROPOSITIO IV. Minime pugnat cum ſpiritu Eccleſiæ regimine temporalis juſdiſctionis regniſque poteſtas.

Subjicienda eſt hæc theſis propter eos, qui aſſerere audent non poſſe Paſtores Eccleſiæ frui temporali juſdiſctione. Quos ſcriptura redarguit, ratio, omniumque conſenſus populorum. Et ſcriptura quidem nos docet, primos Patriarchas, Noemum, Abrahamum, Jacobum, aliosque omnes, priuſquam Levitæ loco primogenitorum ſubrogarentur Num. 111. 41. Sacerdotio ſunctos fuiſſe, victimasque maſſaſſe. Melchizedechum ſimul fuiſſe Regem Salem, &

9.
Propoſitio 4.
Probatur 1.
ex Scriptura.

& Sacerdotem Dei Altissimi, habetur in xiv. 18. Geneseos. De Moyse, Eli, Samuele, & gloriosa serie Machabæorum liber Exodi, prior Regum, & qui de Machabæis inscribuntur, idem aperte testantur. Christus Dominus, tametsi humilis apparuit, & pro hominum salute singularem obedientiam exercuit, regio simul & sacerdotali genere ortus, Princeps Regum terræ appellatur cap. 1. Apocal. v. 5. & de se inquit Matth. ult. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra.* Regiamque potestatem se tenere ostendit, dum à Magis primo annuntiatus est in ipsa Herodis Regia his verbis: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum?* Mat. cap. 11. 3. Exactoribus etiam didrachma à Petro petentibus, *Quid tibi videtur, Simon?* (inquit Dominus Matth. xvi. 24.) *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis?* Quibus ostendit se Regem esse, nec teneri ad solvendum didrachma, tametsi ad evitanda scandala dari iussit solum in ore piscis inventum. Jerosolymam quoque ingressus est regio, solemnique plausu exceptus: & Pilato interroganti, num esset Rex, Joannis xviii. 37. respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Portans denique spinam coronam, & regiam cum humilitate præseferens majestatem, constitutus est, ut David cecinerat Ps. 11. 6. *Rex super Sion.*

10. Porro utramque potestatem spiritua-
Probatur 2. lem ac temporalem posse simul consiste-
ratione, re, humana assequitur ratio, si utriusque finem, unum alteri subordinatum attendit, aut observat idem corpus carne ac spiritu esse conflatum. Quod proxima thesi explicaturus sum; neque inficias ibit ipsamet perversa hæreticorum conscientia, quibus placet temerario ausu in una Angli Regis persona agnoscere politicam simul, & Ecclesiasticam potestatem.

11. Redarguit eos insuper Gentium uni-
Probatur 3. versarum consensio. De populo Dei dixi nuper. Reges Aethiopum fuisse Sacerdotes scribit Diodorus, idemque narrat de Ægyptiis Plutarchus, de Spartatis Herodotus, de Atheniensibus Plato, de Romanis Halicarnassæus, atque Livius. Pervulgatum illud Virgilianum 3. Aen.

Rex Anius, rex idem hominum, Pæbique sacerdos
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

In quem locum Maurus Servius inquit: *Majorum hæc erat consuetudo, ut Rex*

esset etiam Sacerdos & Pontifex: unde bodieque Imperatores dicimus Pontifices. Distributis posthac muneribus, discretisque Regibus ab Auguribus & sacrorum ministris, & hi Reguli sunt appellati; quod nomen prima sui institutione significare sacrificiorum Magistros scripsit de If. & Osir. Plutarchus. Videndus etiam in 1. de Divinat. M. Tullius: semper enim apud Ethnicos ad Sacerdotes Augurum munus pertinuit.

Hinc nemo inferet posse sæcularem
12. potestatem usurpare jura Sacerdotum. Illatum re-
Nam Sacerdotii nostri dignitas & aucto-
ritas non à patrum generatione, neque ab imperii hæreditate dimanat: sed à Divina electione, scribente ad Hebræos Paulo cap. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

PROPOSITIO V. Summo Ecclesiæ
13. Pastori competit reapse utraque simul
Propositio 5. potestas, Ecclesiastica videlicet, & politica.

Nostræ Communionis Theologi, id
Probatur 1. est, Romanenses atque Catholici, variè.
tametsi non convenient, quomodo hæc duplex potestas Romano Pontifici sit concedenda, num *directe* spiritualis, *indirecte* civilis, num vero utraque *directe*, & vi clavium; attamen propositionem comprobant multiplici genere argumentorum. Afferunt 1. loca Scripturarum: in quibus de Ecclesiæ Capite pronuntiatum legimus à Jeremia cap. 1. v. 10. *Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, &c.* quo testimonio usus est Innocentius III. in Epist. ad Imp. Constantinopolitanum. Accedit facta Petro amplissima potestas quodcumque super terram ligandi, una cum mandato pascendi commissas oves, in quo comprehenditur auctoritas eas cohibendi, quotiescumque aberrant sive spiritu, sive corpore. Addunt quod juxta Apostolum sumus unum corpus, & plura sub uno Capite membra: atque ad Caput pertinet subiecta membra dirigere. II. Producent canones, ac præsertim Cap. *Postulasti*, in Extrav. & Cap. *Quidem ea*: unde liquet Romanos Pontifices pœna pecuniaria animadvertisse in eos, qui injecerant manus violentas in Clericos, & civibus Tusciæ mandasse, ut arma pararent, militibusque decrevisse stipendia. III. Exempla Pontificum, qui Imperatores Regesque deposuerunt, aut in eos jurisdictionem exercuerunt, quorum exemplorum nonnulla thesis tertia suppeditat. IV. Recitant testimonia Patrum: inter quos Bernardus in lib. de Considerat. apertissime duos gladios tri-

tribuit Pontifici, & illam, qui gladius est poteſtatis civilis, non quidem illius manu evaginandum, ſed tamen ad nutum ipſius. Plura de his Bellarminus, Turrecremata, Macedo, alii.

14.
Probatur 2.
vulgata ra-
tione.

Unam ego, vulgatamque illuſtrabo rationem, quæ ſimul diſcrepantes ſententias Patrum conciliabit, & objecta quæque diſponget. Eſt autem. *Omnis perſona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet ſinis, habet diſponere de iis, quæ ſunt ad ſinem.* Ita S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. Atqui omnis poteſtas civilis & politica ordinata eſt ad bonum ſpirituale, atque ad Religionem, cui præeſt Romanus Pontifex. Igitur is diſponere poteſt de omni poteſtate civili, & politica. Dixi vulgatam rationem, quæ complures utuntur. Pro cuius fulcramento demonſtrandam aggredior utramque ſyllogiſmi propoſitionem. Poteſtatem politicam ad ſpirituale bonum referendam, ſolus imprudens, ac ſtultus pernegabit. Ajebat Theodoſius in Epift. ad Cyrillum: *Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifice, ſed pie etiam ſubditi vivant.* Et Ammianus lib. xxxix. *Nihil aliud eſt imperium, ut ſapientes deſiniunt, niſi cura ſalutis alienæ.* Habeo in hoc contentientes Iſidorum Hiſpalenſem, & Auguſtinum, & quos laudavi cap. præcedenti. *In hoc ſerviunt* (ait S. Pater lib. 3. contra Creſc. cap. 51.) *Deo reges, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad Divinam religionem.* Quis præterea ignorat corporalia ſpiritualibus, & terrena ſempiternis bonis ſubjicienda?

15.
Probatur 3.

In Corpore autem Eccleſiæ quæ ad Dei honorem, quæ ad religionem, quæ ad ſpirituale bonum per ſe pertinent, Sacerdotali regenda eſſe auctoritate, & hanc eſſe veluti in corpore Animam evinco illuſtribus testimoniis. Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. 11. cap. 34. de Epſcopo ait: *Sacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, ut pericula ab anima & corpore propulſet. Quanto ergo anima corpore præſtantior, tanto eſt Sacerdotium regno excellentius. Quocirca Epſcopum oportet, ut patrem diligere, ut regem metuere.* Nazianzenus Orat. 17. n. 15. ita Principes alloquitur, *Vos quoque imperio meo ac throno lex Chriſti ſubjicit: imperium nos quoque gerimus. Addo etiam præſtantius & perfectius; æquum eſt enim ſpiritu carnem faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere.* Iſidorus Peleſiota lib. 3. Epſtolarum ep. 249. inquit: *Ex ſacerdotio & regno* R. P. Berti Theol. Tom. IV.

rerum adminiſtratio conſtata eſt: quamvis permagna utriusque differentia ſit; illud enim eſt velut anima, hoc velut corpus. Addamus Epift. ad Joannem Papam M. Caſſidori Senatoris, & Præf. Prætorio; in qua, *Pſcitis quidem* (ait) *ſpiritualiter commiſſum vobis gregem: tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere.* Nam ſicut homo conſtat dualitate, ita boni patris eſt utraque re fovere. Sum quidem judex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus: nam tunc iſta recte gerimus, ſi à veſtris regulis minime diſcedamus. Quemadmodum ergo anima, cujus eſt in homine virtus præſtantior, non tantum ſpirituales actiones regit, ſed etiam corporalia membra movet, & ſi rationi adverſentur, coercere debet ac reſtrahere: ita in Corpore fidelium Summus Paſtor moderatur ſpiritualia; atque ad ejus nutum diriguntur imperia, quæ ſi à Deicultu, ac pietate deſectant, poteſt, ac debet illa reprimere, & cohibere.

Ex his conſequitur juridiſtionem regni & imperii non eſſe in Romano Pontifice indiſcrete, ſed directe, per ſe, & vi clavium, & tanquam in Chriſti Vicario, ut docet B. Auguſtinus Triumphus Q. 1. de Poteſt. Papæ art. 7. & q. xxxv. art. 4. Nam & anima, in quantum anima eſt, competit rebelles carnis motus reſtrahere; & cuilibet poteſtati, ad quam pertinet ſinis, directe, proprioque jure etiam ſpectat media, quæ ſunt ad ſinem, diſponere. Quod ergo præclariffimi quidam Theologi docent, Romanum Pontificem non habere poteſtatem politicam ac temporalem directe, hoc tantum ſenſu probamus, quod præcipuum Apoſtolicum munus eſt regere ſpiritum; & ſicut anima corporales motus perficit miniſterio carnis, ita Eccleſiaſticus princeps ſinit temporalia regimina à Poteſtatibus politicis exerceri, has, ſi deviant, continendo ac reprimendo. Verum id malo dici ab Eccleſiæ Rectore factum mediate, quam indiſcrete.

Diſſipantur hiſ machinationes, quæ contra commoliuntur falſorum dogmatum architecti. Opponunt primo loca quædam Evangelii, unde conſtat Chriſtum Dominum noluiſſe inter duos fratres de diſiſione hæreditatis judicium proferre, Lucæ xii. 14. cum veniſſent turbæ ut eum raperent & conſtituerent Regem, in montem fugiſſe, Jo. vi. 15. atque dixiſſe Pilato Regem quidem ſe eſſe, ſed regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Jo. xviii. 36. Hiſ accedit

16.
Juridiſtictio
regni & im-
perii eſt in
Summo
Pontifice di-
recte per ſe.

17.
Obijciunt 1.

M

moni-

monitum Apostolicum in 2. ad Timoth. cap. 11. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

18.
Solvitur.

Quibus ex ordine respondemus, non fuisse Christum hæreditatem inter fratres dividere, principio quoniam Spiritualis Rex, etsi omnem habeat potestatem in cælo & in terra, quemadmodum Christus se proficitur habere, eamque exercuit, ut diximus Prop. 14. nihilominus non est constitutus ut immediate & per se vilia quæque, terrenaque moderetur, quorum administrationem mandat secularibus, ut spiritus corporales motus brachio, pedibus, membrisque reliquis, & veluti Moyses suadente Sethro constitutis magistratibus minora commisit: Exodi xviii. 21. 24. Deinde dedecens erat, Deum pacis inter fratres dividere; quod Osee xiii. 15. munus dicitur iniqui Regis. Præterea licet Christus Rex foret, nondum Ecclesiam sanguine suo acquisierat, nec Rex super Sion montem sanctum Domini fuerat constitutus. Fugit autem in montem solus, quoniam Rex cælestis non debebat recipere regiam à terreno populo auctoritatem, nec talia veritati, quam evangelizabat, præsidia quarere, nec demum Redemptionem, quam morte turpissima perficere decreverat, assumpta regia auctoritate impedire, venturus iterum cum maiestate magna, nequaquam à populis accepta, Iudex universorum. Pilato utique ait Regnum suum non esse de hoc mundo: se tamen regem confessus est. Regnum vero de hoc mundo negavit, & quia auctoritatem regiam non ab homine, sed collatam divinitus obtinuerat; & quia regnum suum dicebat Ecclesiam, populumque fidelem, in quo regnat non hæreditate terrena, sed prædestinatione Divina: & quoniam Regis hujus thronus erat dextera Patris, non solum Israël, ac terrena Jerusalem. *Quod est enim Regnum, nisi credentes in eum, quibus dicit, De mundo non est, sicut & ego non sum de mundo?* inquit Augustinus Tract. 115. in Joan. num. 2. paucisque interjectis: *Non ait Regnum meum non est hic, sed non est hinc. Hic est enim Regnum ejus usque in finem sæculi.* Ergo in hoc Christi regno comprehenduntur etiam Imperatores ac Reges, quotquot ad veritatem Evangelii venerunt, & Christi Vicario subjiciuntur in his omnibus quæ ad hæreditatem æternam conducunt; in quorum genere contineri terrenorum Regnorum administrationem negare non possunt, nisi etiam denegent collatum sibi imperium

ad tutelam religionis, & Dei cultum, & corpus animæ, id est, terrenam potestatem spiritualis esse instrumentum. At Apostolus in altera ad Timotheum Epistola utitur comparatione militum, qui debent propriis muniis insudare militiæ, non agrorum cultui, nec custodiæ animalium, vel mercimoniorum quæstui, ut habetur in L. *Milites*, C. de Re militari, & Vegetius scribit libro 11. & Ambrosius pariter in lib. 1. de Officiis; eoquod cum armati sint & stipendium accipiant à republica, solis debent utilitatibus publicis occupari. Ac modo consimili scribit Apostolus ne Domino militans implicemur *ταῖς τοῦ βίᾳ παρρησιαῖς*; nec ullus Clericorum debet idcirco vacare venditioni mercium, negotiis forensibus, usui armorum. His tamen minime obstantibus, ut Dux militum & Imperator præficeret etiam iis, quæ ad bella gerenda parantur, ita spiritualis Princeps jus habet in terrenam Rempublicam ad spirituale bonum directam, neque à Religione divulsam.

Opponunt ulterius, quod regia, & spiritualis potestas pugnent ad invicem, & à Christo sint propterea separatæ, ut habetur dist. 19. cap. *Quoniam*, & dist. 26. cap. *Eum ad verum*, & in Epistola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem: ex qua præfata capita sunt exscripta. Quibus accedunt plurimæ sententiæ Patrum affirmantium Ecclesiæ pastoribus interdici imperium, ac temporale dominium.

19.
Obijciunt 2.

Verum his satisfactum arbitramur allata superius animæ corporisque comparatione. Etsi enim natura spiritus, & natura corporis eatenus pugnant, quatenus diversâ constituuntur essentia, & anima caret partibus, quibus corpus coalescit; junguntur tamen in una, eademque persona hominis, & talem ordinem servant, ut habeant quidem sua peculiaria munia, sed anima debeat singula dirigere & coercere. Atque ita spiritualis potestas, quæ immediate versatur circa salutem animæ, habet diversam quasi naturam à potestate civili, quæ spectat temporalem tranquillitatem; & nihilominus simul consistunt in uno Romano Pontifice, qui per se spiritualia, & per filios suos Imperatores ac Reges terrena ministrat: & si hi non recte incedant, *Gloriosos terræ humiliat, ne adversus petram, Ecclesiamque possint portæ inferi prævalere.* Legite S. Thomæ Cantuariensis Epistolam 97. Hæ duæ potestates spiri-

20.
Solvitur.

spiritualis & politica, ut inquit Nico-
las I. fuerunt ante adventum Christi
permixtae, quoniam in sacerdotio Le-
vitico per se & immediate Sacerdotes
praerant templo & urbi, immolabant
victimas & regebant exercitus; nunc
vero post adventum summi Regis ac Pon-
tificis, simul quidem regale genus & sa-
cerdotale subsistunt; sed summus Pastor
per se tractat spiritualia, terrena autem
Secularium Principum ministerio. Mo-
nent autem recte Sancti, ne Ecclesiastici
immediate moderentur terrena, nec se
rebus inferioribus impliceant; at si Po-
testas civilis contraria sit spirituali, in-
ferior nempe superiori, & corpus ani-
mae, quemadmodum contigit regnante
Nicolao in depositione Ignatii Antistitis
Constantinopolitani, tenetur Pontifex
potestatem ipsam civilem cohibere, quo-
niam, ut ait citata Epistola Nicolaus,
*Pontifices pro temporalium cursu rerum
utuntur Imperialibus dispositionibus, &
Christiani Imperatores pro aeterna vita
Pontificibus indigent.* Ex quibus argu-
menta Calvini, Grotii, aliorumque Hae-
reticorum facilem habent, ut arbitror,
expeditionem.

21. PROPOSITIO VI. Quaelibet civilis
Propositio 6. Potestas, quae in Corpore Ecclesiae ten-
net imperium, debet ad nutum Pontifi-
cis arma tractare, caeteraque complere
suae auctoritatis officia.

Probat. Sequitur ex praecedenti, brevique
corroboratur. Numerorum quippe Cap.
xxvii. 21. legitur, *Si quid agendum erit,
Eleazar Sacerdos consulat Dominum. Ad
verbum ejus egredietur, & ingreditur
ipse, (id est Josue) & omnes filii Israel
cum eo, & caetera multitudo.* Quo in
loco oscitanter nimis scripsit Abulensis,
Eleazaro egrediendum & ingrediendum
ad Imperium Josue, quod & repetit
q. 2. in cap. xiv. hujus Historiae. Ete-
nim pronomen *Ipsa* ad Josue, non ad
Eleazarum referendum constat ex ver-
sione Hebraica, *Coram Eleazaro Sa-
cerdote stabit, & poscet ab illo judicium
Urim coram Deo: juxta os ejus egre-
dientur, & super os ejus ingredientur
ipse & omnes filii Israel cum eo.* Non
ergo Eleazar, sed Josue stare debebat,
judicium poscere, & juxta Sacerdotis
oraculum cum populo egredi, & in-
gredi. Ideo recte Innoc. III. cap. So-
lita, negat Josue accepisse imperium in
Eleazarum. Demonstrat id etiam judi-
cium *Urim*, quod hac occasione expli-
cabo. In rationali, quo pectus sacer-
dotis ornandum erat, jussus est Moyses
ponere Exodi xxvii. 30. *התומים
את האורים ואת* *Urim, & Thum-*

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

min. Vulgaris opinio est duas gemmas
fuisse Ephod intextas, quarum insolito
splendore quid agendum foret patefceret.
Hinc David 1. Regum xxi. 10. ignorans num descenderet in Ceilam
dixit ad Abiathar Sacerdotem; *Applica
Ephod:* quod & fecit persecuturus la-
trunculos, cap. xxx. 7. Tradunt autem
hoc genus Oraculi per lapillorum splen-
dorem cessasse in Babylonica Captivita-
te; quamquam Josephus lib. 3. Origini-
um cap. ix. scribit id contigisse annis
antequam illam inchoaret historiam du-
centis. Hinc etiam Aegyptii, caeteri-
que idololatrarum Sacerdotibus suis tor-
quem collo apponebant, & Ephod pe-
ctori, in quo diabolus Dei Simia immu-
tatione gemmarum dedisse responsa col-
ligitur ex Hist. Judae. cap. viii. atque
ex libro 1. Diodori. Sunt tamen qui
per Urim & Thummim intelligunt solum
judicium Pontificis, nam *Urim* signifi-
cat illuminationes & manifestationes,
Thummim integritates ac veritates: &
proculdubio recte verterunt Graeci
Δωρον, & ἀληθείαν, & Latina Vulgata,
Doctrinam & veritatem. Igitur, ut ta-
tetur etiam in hunc locum haereticus
Munsterus, Josue imperator exercitus
debebat consilium & oraculum petere à
Sacerdote conscio Divinae voluntatis:
ac propterea de ipsomet Josue scriptum
est: *ושאל לו במשפט האורים*
Et petet ab illo judicium illuminatio-

Id multo magis à Christianis Princi-
pibus servandum est, quod hi potiori
jure tenentur pro fide ac religione insti-
tuere certamina, aut si pro republica
bella gerunt, commoda quaeque popu-
lorum ad aeternam ipsorum salutem te-
nentur dirigere. Unde S. Thomas citata
q. 40. art. 2. ad 3. *Bella carnalia (in-
quit) in populo fidei sunt referenda sicut
ad finem ad bonum spirituale Divinum,
cui Clerici deputantur: & ideo ad Cle-
ricos pertinet disponere, & inducere alios
ad bellandum bella justa.* Atque si id
Principes haberent praeculis, profecto
à plurimis cladibus caedibusque abstine-
rent, quas deplorant viri quique erudi-
tione, ac pietate praeculi, nuperrime
vero in Oratione de laudibus strenuissi-
mi Principis Eugenii ad invictissimum,
piissimumque Caesarem Carolum Sex-
tum vir eximius & literarum splendore,
infulis Ecclesiasticis, & Vaticana Pur-
pura insignis Dominicus Passioneus.

PROPOSITIO VII. Legislator & ipse
aliquo pacto propriis legibus obstrin-
gitur.

M 2

Dixi

Probat.

Dixi aliquo pacto: nam certum est Legislatorem suis legibus non teneri, ita ut imperio alicujus positivæ legis subiacatur, cum imperium stringat duntaxat inferiores; unde extat l. *Princeps*, dig. de legibus lib. 1. tit. 3. *Princeps legibus solutus est*. Atque hinc est, principem suis legibus non subijci quantum ad vim coactivam, cum superiorem non habeat, qui possit in ipsum animadvertere. Sed tenetur propriam legem servare vi superioris legis, æternæ scilicet ac naturalis, quæ rectum postulant ordinem caput inter & membra: ideoque si Princeps pro Republica legem constituat, eaque præcipiat quæ capiti membrisque conveniant, lege naturali jubente ut omnia ordinatissima sint, institutis à se æquitatis regulis devincitur. Quod mihi quidem auctoritas, ratio, exempla quæ persuadent. Auctoritas quidem; etenim reprehenduntur Matth. xxiii. 4. qui subditis onera imponunt, illa autem nolunt extremo digito attingere. Innocentius III. cap. *Cum omnes*, de Constit. Canonicis Ecclesiæ Trecensis illud Catonis commendat: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*. Et dist. 9. Cap. *Iustum*, dicitur: *Iustum est, principem legibus obtemperare suis*. Ambrosius præterea Epistola xxi. 9. Valentinianum alloquitur: *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat*. Habetur denique in C. tit. 14. l. 1. *Digna vox est Majestatis regnantis, legibus alligatum se principem profiteri*. Ad rationem quod spectat; debet omnis pars suæ universi congruere, ut S. Pater docet lib. 3. Conf. cap. 8. Cum itaque Princeps sit Reipublicæ Caput, necessum est ut se reddat cæteris conformem. Cui accedit, latam esse omnem legem pro bono communitatis. Istud vero bonum pendet potissimum à Principis æquitate; quoniam experimento comprobatum est, & Carmine etiam Homeri Odyss. xix. confirmatum, talem esse Reipublicæ tranquillitatem,

*Qualis Rex culpa vacuus, gnarusque
Deorum,
Qui populis multis & fortibus impe-
rat unus,
Tutatur pia jura manu.*

Exemplum denique desumptum est à Philemone ex illis Medicis, qui dum morbo cubant, debent eadem usurpare remedia, quæ allis pari infirmitate laborantibus jam præscripserant. Quæ autem contra hanc propositionem obji-

ciuntur, si dixeris obligationem servandi proprias leges oriri in Principe ex ipsa ipsa lege naturæ, non directe ex ipsa lege humana ab illo constituta, uti modo explicabam, absque alia disputatione arbitrari esse soluta.

PROPOSITIO VIII. Advenæ ac Peregrini locorum, ad quæ accedunt, tenentur legibus, non proprii, unde abierunt, territorii. 24. Propositio 8.

Rationem simul ac exemplum affert Probat ex S. P. Augustinus Epist. ad Januarium S. Augusti-
no. xviii. nunc l. v. ejus verba habentur dist. 12. Can. *Illæ*. Ubi distinguit ea, quæ servantur ab universa Ecclesiâ, & quæ utique necessum est custodiri ubique locorum, ab iis, quæ per loca terrarum, regionesque variantur. De his vero inquit: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est*. Profert mox exemplum de jejuniis, quod in Ecclesiâ Mediolanensi sabbato non servabatur. Quamobrem Sancta Mater Monica fluctans quid ageret movit Augustinum, ut confuleret Ambrosium. Is autem respondit: *Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno*. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo: nec quemquam tibi. Additque S. Parens non solum Monicam libenter sententiæ Ambrosii auscultasse, verum etiam ipsum Augustinum semper illam tanquam cæleste oraculum habuisse. Ex quo uno loco potest quisque deducere pro firmanda thesi auctoritatem Canonis, testimonium sanctorum, consuetudinem disciplinæ, & depromptam à periculo scandali rationem.

Ob. 1. At ibidem Augustinus ait de variis locorum statutis, *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes*. Resp. post ea verba statim consequi, *Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam, ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte venerit*. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est. Liberam ergo habent observationem, sed extra Ecclesiam, in qua sunt veteri consuetudine comprobata.

Ob. 2. Episcopus territorii, unde advenæ transiunt, nequit eos matrimonio conjungere, nec ad Ordines promovere; quomodo ergo peregrini illius Episcopus. 26. Objectio & Responso.

Episcopi jussis subſciantur? Similiter Latinus Sacerdos transiens per regiones Græcorum, aut Græcus per Latinas Ecclesias ritu proprio libere utitur, ac pane azimo, aut fermentato. Respondetur in his, cæterisque similibus ab ipsis Episcopis, ac Synodis statutas esse exceptiones, ne in contrahendo matrimonio, aut Ordinibus suscipiendis fallacias fraudesque improbi molirentur: ideoque in istarum observatione leges Territorii potius impleri, quam frangi.

Ut celebrent papiter cum Latini, tum Græci proprio ritu servato, decrevit ad vitandam utriusque Ecclesiæ scissuram Synodus Florentina. Quod autem sancivit saluberrima Ecclesiæ auctoritas, non lex Territorii est appellandum, sed commune statutum, ubique, ut S. Pater docet laudata Epistola, retinendum. De Clericis proximo capite adjiciam quæ adhuc flagitat hujus argumenti dignitas atque amplitudo.

CAPUT XVII.

De Immunitate, & Asylo.

SUMMARIUM.

1. Notanda circa Immunitatem & Asylum.
2. & 3. Probatur Propositio Ima.
4. 5. 6. 7. & 8. Probatur Propositio 2da.
9. Usque 15. Solvuntur objectiones.
16. Propositio 3tia.
17. Explicatio illius.
18. & 19. Probatur eadem.

20. Constitutio Juliani Apostatæ, & Regis Gallorum Chilperici nil probant.
21. Propositio 4. de 4. Civitatibus Asyli.
22. Asyla alia sunt sacra, alia profana.
23. Aliqua Baptisteria Privilegiò Asyli gaudant.
24. Cultores Idolorum Asyla sacra æstimant.
25. Varia recensentur Asyla.

Notanda circa Immunitatem & Asylum.

A EQUUM est, ne quod Jurisconsulti disputant in tit. 49. libri 3. Decretalium Gregorii IX. de Ecclesiarum Immunitate prætermittamus omnino. Immunitatem appello locorum, aut aut personarum à communibus oneribus, muneribusque libertatem, quod nonnulli *Emunitatem* dixere, quasi extra munia, quibus cæteri obligantur. Affine huic est Jus securitatis, sive Asylum, derivatum nomen ab *ἀσφύριον* & verbo *σώζω*, *rapior*, *prædor*: & idem est Asylum, ac locus profugii. Circa immunitatem quarendum est, an Clericis fas sit domos, aliaque bona possidere, nam cap. 1. memorati tit. 49. pertractatur de domibus Ecclesiarum. Posthac videndum an Clerici à publicis muneribus collectisque solvendis sint immunes, ut eodem titulo statutum est cap. *Non minus*, & cap. *Adversus Consules*. Deinde de Immunitate locorum, de qua extat cap. *Cum Ecclesia*, & cap. *Ecclesiæ*, agendum breviter, cæteris expositis, quæ ad Jus Asylorum magis spectare videntur.

1. PROPOSITIO I. Clerici legitime bona possident temporalia.

Quod probatur primo ex veteri Testamento. Num. xxxv. v. 2. legitur: *Præcipe filiis Israël, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum*: & Josue xxi. 3. *dederuntque filii Israël de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates, & suburbana earum. Sunt qui dicunt urbes & agros Levitis*

accessisse, ut ibi habitarent, non ut haberent concessarum rerum dominium: quod Lyranus probat ex cap. xiv. Josue 13. ubi dicitur traditum Caleb Hebron in possessionem; cum tamen cap. xxi. 11. Levitis assignata fuerit civitas Arbe, quæ vocatur Hebron. At difficultatem dirimit proximus versus 12. *Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. Dedit ergo filiis Aaron Sacerdotis Hebron conjugii civitatem, ac suburbana ejus*: & 1. Paralip. vi. 55. *Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, & suburbana ejus per circuitum: agros autem civitatis & villas Caleb filio Jephone. Caleb* itaque possedit tractum circumjacens, dictum Hebron, quomodo cap. xxi. v. 32. ager Sichemo proximus dicitur Sichem, & Jud. xiii. 2. Manue pater Sampsonis appellatur, *vir de Saraa*, cum tamen ruri habitaret. Ita Calebi territorium, Levitarum erat civitas, ac suburbium. Legitur etiam Levit. xxv. 33. *Domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israël*: nec alia profertur causa, cur non possent suburbana venditari, nisi quia Levitarum possessio perpetua erat ac sempiterna, quomodo nequeunt & modo bona Ecclesiarum alienari.

In novo pariter Testamento, atque in ipsis Ecclesiæ incunabulis, *Quotquot erant possessores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, ut in Actis legitur Cap. iv. 34.

2. Probatur 2. ex novo Testamento.